

Nec sanè illi fucum facere potuisset Propheta sive Patriarcha nomen, fabulis refertissimo Libro impositum.

Fateamur tamen oportet, nunquam ab illis in Canonem receptum; quin & certum eos ubique constituere, ablegari illum à Canonicis Hebræorum & Christianorum Libris. Tertullianus inter potissimos ejus Libri assertores, disertè asserit, de cultu fœmin. l. 1. c. 3. Scio Scripturam Henoch non recipi à quibusdam, quia nec in armario Judæorum admittitur. Laudat identidem Opus illud Origenes, quin & doctrinam in nonnullis probare visus est; fatetur tamen libr. 5. contra Cels. Neutiquam pro divinis in Ecclesia habentur. Et in Num. 24. hom. 28. Non videtur apud Hebræos in auctoritate haberi. Ac post laudatam ex illo sententiam, addit, in Jo. 1. 8. edit. Huet. Si cui placet admittere Librum ut sanctum. Hærenicos autem ille, sive remotissimæ antiquitatis vitium culpat, si à Canonicis Libris ablegatur; quanquam aliqui corruptionem nonnulli in levioribus quibusdam agnoscit.

Tertullianus, omnium inter Veteres potissimus Operis hujus æstimator, scriptum statuit à Propheta Henoch, afflatu Spiritus Sancti. Hæc prævidens Spiritus Sanctus... præcinit per antiquissimum Prophetam Henoch (f). Quod autem à Christianis inter Canonicos non reciperetur, hanc affert rationem: Opinor, non putaverunt illam (Scripturam) ante cataclysmum editam, post eum casum orbis omnium rerum abolitorem salvam esse potuisse. Quasi scilicet fieri potuisset, ait Tertullianus, ut Noe Henoch ex filio nepos, diluvio utique superstes, & servandæ avi sui memoriæ, uti credere par est, studiosissimus, quique illi in munere concionum ad populum habendarum successerat, fieri, inquam, potuisset, ut Noe Scriptum tanti momenti & ad Religionem maximè necessarium negligeret. Quin & Noe potuit, addit Tertullianus, eam (Scripturam) abolitam violenti à cataclysmi in spiritu rursus reformare. Quænam admodum & Jerosolymis Babylonica expugnatione deletis, omne Instrumentum Judaicae literaturæ per Esdram constabat restauratum.

Addit idem Tertullianus: Cum Henoch eadem Scripturam etiam de Domino prædicavit, à nobis quidem nihil omnino rejectendum est, quod pertineat ad nos; eo magis quod de Scriptura legimus, Divini Spiritus afflato scripturam illam instruendis moribus aptissimam esse. Si Scripta illa Judæi abjecerunt, nimis apertum de Christo testimonium illos avertit. Cum tandem Apostolus Judas Operi huic tulerit testimonium, probandi illum necessitas nobis imponitur.

Hæc Tertullianus de auctoritate divina ejus Operis, futilia planè & nullius ponderis. Esto utique potuerit Henoch Opus scribere ante diluvium; scriptum illud conservare potuerit Noe; abolitum reparare potuerit, uti ab Esdra in Libris V. T. factum dicitur; quid inde? Jesu Christi meminit Liber Henoch, Christianorum Religionem fovet; instruendis moribus valet

plurimum, quid inde? S. Judas Opus probat: hoc utique probandum est. Probat ille quidem laudatam à se prophetiam, sed reliqua ejusdem Libri fortè nec vidit unquam.

P. Boulducus Capucinus plus etiam aliquid quàm Tertullianus vincit, auctoritatem enim hujus Libri restituendam; & super modum lucernam ejus imponendam suscipit. Vocat in auxilium veteres Patres, qui Opus non sine honoris elogio laudantes, Authoris tamen mentem non satis, ut ille quidem autumat, assecuti sunt. Veniam rogat à SS. Hieronymo, & Augustino, si cum illi corruptum, suppositum, vel confictum putarint, ipse contraria demonstrat, ostendens allegoricum esse Opus, quo sub verborum emblemate Scriptor simplicissimam historiam refert, nec obscurè à Moysè expressam. Vigiles sive Angeli à Carlo dilapsi, fœminas deperientes, facta à Deo discessione, parentes Gigantum, autores exantationum, & immodici fœminarum cultus, fuci, armorum, auri, & argenti, Vigiles, inquam, illi ipsissimi sunt filii Dei apud Scripturam (g), posteri Seth & Enos, qui post naturæ arcana penetrata, scientiâ suâ abusi sunt seducendis puellis filiarum hominum, nempe à Caini posteris natis.

Filii illi Dei, Angeli caelestes, vitam monasticam sub Caina & Enos profitebantur; cujus rei merito Angelis ferre pares, è tanto demùm virtutis culmine excidentes, professionem suam deseruerunt, fœminas, ducentes quarum erant mores corruptissimi. Nati ex illis Gigantes, nempe fastosi illi homines, qui impietate & licentiâ suâ vel parentum etiam crimina exceperunt. Principes Vigilum, Patres utriusque Ordinis, Cinæorum nempe, & Enosiorum, apostasiæ crimine irretiti, subiectos sibi Monachos eadem vitii contagione infestaverunt.

Hæc allegoricæ hujus historiæ veritas à Patriarcha Henoch scriptæ, & in Arca unâ cum exuviis Adami protoparentis à Noe ex filio nepote solerti curâ servatæ. Fortè tamen non omnia, quæ in ejus Libro leguntur, Henochum habent Authorem; sed ea quæ ad tempus post ejus translationem spectant, Noe eodem afflatu Spiritu ad institutionem posteritatis censuit adjicienda.

In suo hoc systemate excogitando pompam ingenii exhibuisse Boulducum, facile omnes concedunt; sed de veritate, non de ingenio est quaestio. Veritati autem asserenda solidiora argumenta desiderantur. Nihil esset utique certi in Sacra Scriptura, semel hac datâ viâ, sive ut historiæ vertantur in allegoriam, sive ut allegoriæ in historiam. Si utique constaret, Librum Henochi nomine inscriptum Sacrum esse & Canonicum, hanc descedendi in allegoriam absurda quæque in illo expressa rationem probaremus. Ita enim factum constat, si quando occurrunt minus exactæ quaedam & populares phrasæ in Sacris Libris. Sed Opus nunquam inter Canonica recepit vel Ecclesia vel Synagoga: ut quid igitur pro excusanda historia supra fidem la-

aboremus? ut quid indigno auctoritate Libro auctoritatem conciliare tanto animi usum conemur?

Si Judæi veluti Canonicum Opus illud recepissent, maximo erga illud obsequio utique tenerentur; laudassent Sacri Authores, nec ignorassent Josephus, & Philo. Quid non indagassent de charactere, & sermone, quo primum fuisset scriptum? quomodo & qua ratione ad nos pervenisset? Origenes, Eusebius, & S. Hieronymus Originalium Textuum Sacrorum Librorum diligentissimi scrutatores, ut quid Textum Henoch neglexissent? Ecclesia, qua tenetur observantia erga Henoch & S. Judam, nunquam in situ squallescere illum permisisset, si tanto nomine censuisset dignum. Invidia utique in S. Spiritum crearet, si quis auderet Scriptori illi Divino tam absurdum, tam futile atque erroribus scatens Opus vindicare.

Nec ingenui est hominis, si quis auctoritate & nomine S. Judæ textum à Libro Henoch excerptis abutatur. Paganos Vates, & Libros Apocryphos laudavit S. Paulus: quis unquam scripta illa Opera censuit consecranda? Laudat, inquam, ille Aratum (h), Menandrum (i), Callimachum sive Epimenidem (k), excerptis quædam à Libro apocrypho Eliæ (l): Quod oculus non vidit, nec auris audivit &c. Et ad Galatas 6. 15. In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura; quæ verba è revelatione Moysis deducta sunt. Et ad Ephesios 5. 14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus; quod legitur in Opere apocrypho sub Jeremiæ nomine. Nec tamen inde rectè inferas, apocrypha hæc scripta canonicam habere & divinam auctoritatem; sed Spiritus Sanctus loquens in Apostolo illum dirigebat, ut vera à falsis fecerneret. Nec aliud nos recipere uti sacrum cogimur, nisi quod Apostolus in sua scripta transferens veluti consecravit (m). Qui putant totum Librum debere sequi eum, qui Libri parte usus sit, videntur mihi & apocryphum Henochi, de quo Judas in Epistola sua testimonium posuit, inter Ecclesia Scripturas recipere, & multa alia quæ Apostolus de reconditis est locutus. Hæc S. Hieronymus.

Veteres quidam Patres, quibus grande illud nomen Henochi, & relatum à S. Juda testimonium fucum fecerat, Opus illud & laudarunt & probarunt. Si ex illis quidam Canonice Libris æquare illum visi sunt, laudanda est doli minimè conscia mens; laudanda observantia in nomina S. Judæ & Henoch, de qua ne fortè decederent aliquid, ab examinanda regulis criticis veritate abstinuerunt. Errarunt in facto quodam, non in dogmate; nec ex eorum errore quidquam inferendum est. Neminem fore arbitror nostræ ætate, qui asserendum hunc Librum Henoch Authori suscipiat; si autem alterius est ab Henoch impostoris, est planè illi fides prorsus detrahenda, nisi fortè illius nonnulla ab Authore aliquo inspirato, tanquam à falsis vera segregante, probentur.

Cavendum est nobis de cætero, ne totam antiquitatem in favorem ejus Operis versam arbitremur. Doctissimi inter Patres studii nihil, contemptus plurimum erga illud exhibuerunt. Origenes, uti supra animadvertimus, nec recipi ab Ecclesia, nec à Synagoga testatur. S. Hilarius in Pl. 132. vers. 3. frigidè satis de illo: Nescio ejus Liber extat. Hieronymus in Pl. 132. 3. Manifestissimus Liber est, & inter apocryphos computatur; ex eo autem sententiam se produxisse dicit, non in auctoritatem, sed in commemorationem. Vito tandem vertit Origenem, quod eo Libro apocrypho usus sit, hæresibus suis asserendis. S. Hieronymus de Script. Eccl. c. 4. agens de Epistola S. Judæ: Quia de Libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisque rejicitur. S. Augustini mentem supra vidimus; qua enim est sapientiâ & moderatione vir Sanctus, ita de illo disserit de Civitate l. 17. c. 38. Quorum scripta, ut apud Judæos & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit vetustas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Criticorum doctissimi nostræ ætatis minis etiam quàm Patres illi scripto apocrypho favent.

Si quis autem ex me quærat, cuius Authori tribuendum? Repono statim; non quidem Henoch, Noe, vel Sacro alicui Scriptori; non Judæo alicui, diu ante Jesu Christi ætatem scribenti; non Hellenistæ, qui Græcis literis illud tradiderit. Imposituram credimus viri Christiani ex Judæis, qui Græcè scripserit, juxta receptas vulgò apud suos traditiones; adjectis nonnullis ad Jesum Christum conducentibus, ut Judæis fratribus suis salutari mendacio faveret. Quod plus nimio Christianismum redoleret, idèd à Judæis rejectum Opus suscipiat Tertullianus de cultu fœm. l. 1. c. 3. A Judæis potest jam videri rejecta (ista scriptura) sicut & cætera quæ Christum sonant.

Sunt equidem in Testamento duodecim Patriarcharum fragmenta plura ejus Libri, quæ Christianum Scriptorem sanè produunt. In Testamento Levi: In Dominum manus imponentes in omni malitia, & confundentur in vobis fratres vestri, & omnibus gentibus fietis illusio. Et pauld infra: Virum, renovantem Legem in virtute Altissimi, erroneum appellabit. Et in fine, ut asstabitis, occidetis eum, nescientes ipsius resurrectionem, innocentem sanguinem in malitia super capita vestra recepturi. Propter ipsum erunt sancta vestra deserta usque ad pavimentum prophanata, & non erit locus vestris mundus; sed in gentibus erit maledictio, atque desperatio anget vos, donec ipse rursus visitabit & miserens recipiet vos in fide & aquâ.

Et in Testamento Nephtali: Impiè agent, & dispergeteos Dominus super faciem universæ terræ, usquequo venerit misericordia Domini, homo faciens misericordiam & justitiam in omnes, qui longè sunt, & qui propè sunt. Et in Testamento Benjamin parte vestra fiet Templum Dei, & glo-

rio.

f De cultu fœm. l. 1. c. 3.

g Genes. 6. 4.

h Ab. 17. 28.  
i 1. Cor. 15.  
33.  
k Tit. 1. 12.  
l 1. Cor. 2. 9.

m Hieron. in Epist. ad Tit. c. 1.

riusum erit in vobis. Quoniam ipse Dominus accipiet Regnum, & duodecim Tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, usquequo Altissimus mittat suum Salutare in visitatione Unigeniti. Et ingredientur in primum Templum, (forte in anteriorem partem Templi) & illic Dominus injuriam patietur, & contemnetur, & ligno exaltabitur. Et erit velum Templi scissum, & descendet Spiritus Domini super gentes, ut ignis effusus est. Et ascendet ex Inferno, ascendet à terra in Cælum. Recordabitur quam fuerit humilis in terra, & quam gloriosus in Cælo.

Sola eorum locorum inspectio Christianum Authorem satis demonstrat; datur etiam suspicandi locus, num ipsissimus sit Testamenti duodecim Patriarcharum Scriptor, quod postremi hujus Operis Author in laudandis Libri Henoch testimoniis morositatem plus nimio affectet. Stili utrobique affinitas, barbarismus, & rustica Hellenistæ phrasis, Hebraismi frequentes utrobique, quibus vix unquam desuiceret Scriptor aliquis Judæus. Spectare hic licet traditiones & dogmata Synagoge, spectare Jesum Christum, ejus adventum, passionem, mortem, resurrectionem, ad Cælum ascensionem, ad Inferos descensum, S. Spiritus illapsum, Templi Jerusalem eversionem, dispersionem Judæorum, & æternum illud opprobrium, quo florentis jam gentis facies in poenam necis Jesu Christo illata obducitur; hæc autem omnia historice magis quam propheticè expressa. Scripta hæc igitur credimus post factum, à Christiano quodam Authore, zelo quidem, sed non secundum scientiam, flagrante Christiana enim Religio nihil habet cum piis hisce fraudibus; solâ sui veritate ad homines pellicendos sat potens. Aliam inierunt viam Apostoli in Evangelii prædicatione; omni enim metu posito, Jesum Christum & hunc crucifixum prædicarunt (n), Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; est autem Dei virtus & sapientia illis, qui fidei donum receperunt. Si ergo S. Judas legit Henochi Librum, paulò sanè postquam scriptus est in ejus manus devenit; non enim ejus epocham constituendam censemus, nisi post Templi per Romanos eversionem; qua pariter eversione multò recentiore Epistolam S. Judæ non arbitramur.

Præter Librum Henoch, de quo hætenus, & triginta illa volumina missa, uti quidem ferunt, à Deo ad Edm, ac ceteros Astronomiæ Libros, quos Henoch supponunt Judæi, & de quibus nos egimus supra; sub ejus nomine Æthiopes volumina servant, de quo hic aliqua libanda, ne ex Operibus tanto viro adscriptis aliquod præteream. Gassendus in vita D. Peireski refert, Virum illum doctissimum cum rescisset à P. Agidio Lochiensi Capuccino, qui plures annos egerat in Ægypto, servari in ea regione Librum Henoch, literis Æthiopicis scriptum, Europæis nostris prorsus incognitum, nec sumptibus nec labori peperisse, ut illo potiretur. Post

eius obitum, transiit Ms. illud in Bibliothecam Cardinalis Mazarini, ac deinde in Regiam, in qua thesauri loco servatur.

D Ludolphus Lutetiam veniens (o) anno 1683. Ms. observavit, cujus ille famam audierat, atque Authorem Operis prodidit Bahadam Michaellem; esse autem asseruit Librum fabulis refertissimum, illi prorsus similem, qui sub Libri Henoch nomine laudatur à Syncello; quod postremum Opus Michael ille & excerptit, & fabellis de suo plurimis auxit; ita e. g. catalogum longè majorem instruit perniciosissimarum artium, quas discipulos homines perduelles Angeli docuerunt.

Legitur ibi pariter singularis Lucubratiō de otu Henoch, cujus Author inducit Angelum de mysterio SS. Trinitatis ita differentem, veluti si Theologus aliquis doceret in cathedra; ad mysterium illud relata loca quædam Scripturæ exponit; ex quo conjectura non levis Christianum Authorem prodit. Post hæc omnia refert certamen à S. Michaele cum Setnaele Principe Daemonum initum. Rideas profectò ad historiam duorum Imperatorum &, quæ illis parent, copiarum.

Setnael procerus est 100000. Angelicis cubitis, vastissimum præfert oris hiatus 40. cubitorum, faciem habet ita longam, ut diurni itineris viam exæquet; utriusque oculi supercilia intervallum duorum itineris dierum determinat; caput assurgit in montem celsissimum; oculos habet ita enormes, ut vertendis illis 7. dierum spatio sit opus; fluvium vomit ex ore cum expuit. Hoc specimen Libri Henoch, quem D. Peireskius tanto molimine ex Ægypto procuravit.

Ex dictis hucusque statuendum est, primò Henoch nullum facile scripsisse Librum, vel sanè nullum eorum, qui sub ejus nomine laudantur, viro summo debere. 2. Nihil certi asseri posse, an sententiam, quam sub nomine Henoch laudat S. Judas, è Libro Henoch, cujus supersunt fragmenta, decerpserit; seu potius Libri Author è loco S. Judæ struendi Operis sumpserit occasionem. 3. Librum Henoch non antea scriptum, quam post eversionem Templi Jerusalem per Romanos, nempe post annum 70. J. C. 4. Authorem illius esse Christianum ex Judæo; nec facile alium à Scriptori Testamenti duodecim Patriarcharum. 5. Opus illud nunquam in Canonem Judæorum vel Christianorum receptum fuisse. 6. Nihil certi affirmari posse, an Judæi Opus illud agnoverint; alterius enim esse argumenti videntur Libri Henoch, de quibus in Libris Zohar & Inchasim, ac Rabbinicis, alterius, inquam, ab Opere, cujus fragmenta leguntur apud Patres Græcos, & Latinos. 7. Vetustissimam obtinere apud Orientales traditionem de Henoch, tanquam Librorum Astronomiæ primo Authore; ex quo factum ut sub ejus nomine Libri plures vulgarentur. 8. Tandem Librum Æthiopicum ex Ægypto allatum, recentiore esse imposturam, contemptu dignam & oblivione.

o Comment. in histor. Æthyop. pag. 347.

n 1. Cor. 13.

FINIS.

TA.



# TABULA CHRONOLOGICA GENERALIS HISTORIÆ BIBLICÆ.

Anno Mundi I. Pe- riodi Juliana 710.		Anno ante- Chri- stum 4000. ante Æram vulga- rem 4004.
	<b>M</b> ateria, sive Chaos creatur.	
	I. Dies: Lux creatur.	
	II. Dies: Creatio Firmamenti.	
	III. Dies: Creatio maris, aquarum, plantarum, & arborum.	
	IV. Dies: Sol, Luna, & Astra creatur.	
	V. Dies: Creatio Piscium, & Avium.	
	VI. Dies: Creatio Animalium terrestrium, & Homi- nis. Bruta omnia coram Adamo à Deo producuntur, quibus Adam. nomina imponit. Dein è latere hominis mulier à Deo creata, eidem Adamo in uxorem traditur. Introducti ambo in Paradisum terre- stre.	
	VII. Dies: Deus post absolutum creationis opus quiescens, requiem Sabbathi sanctificat.	
	X. Dies: Dæmon sub serpentis exuviis Evam tentat. Eva Dei præcep- tum transgressa, criminis sui consortem Adamum efficit. Ambo à Deo è Paradiso ejiciuntur, paucis post creationem diebus, & facile decimâ die.	
2	Oritur Cain filius Adami, & Evæ.	3999
3	Oritur Abel.	3998
129	Cain fratrem suum Abelem occidit.	3871
130	Seth, filius Adami, & Evæ nascitur.	3870
235	Enos, filius Seth, nascitur.	3765
325	Cainan, filius Enos, nascitur.	3675
395	Malaleel, filius Cainan, nascitur.	3605
460	Jared, filius Malaleel, nascitur.	3540
622	Enoch, filius Jared, nascitur.	3378
687	Mathusala, filius Enoch, nascitur.	3313
874	Lamech, filius Mathusala, nascitur.	3126
930	Adam, 930. annis natus, obit.	3070
987	Enoch, post exactos 365. vitæ annos, transfertur.	3013
1042	Seth, filius Adam, annis natus 912. moritur.	2958
1056	Noë, filius Lamech, nascitur.	2944
1140	Enos, annis natus 905. moritur.	2860
1235	Cainan, ætate grandævus 910. annorum, moritur.	2765
1290	Malaleel, annis natus 895. moritur.	2710
1422	Jared, annis natus 962. moritur.	2578
1536	Deus Noëcum admonens de futuro diluvio, ire jubet ad annunciandam hominibus poenitentiam, 120. annis antequam ipsum diluvium mittat. 1. Pet. 3. 20. & 2. Pet. 2. 5. Gen. 6. 3.	2464
1556	Japhet, filius Noë, natu major, oritur. Gen. 5. 31. & 10. 21.	2444

Sem